



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

4. De prima beatitudine. Beati pauperes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

ne visibilis corporaliter præstitit; idem omnibus ad statum perfectionis vocatis etiam nunc spiritualiter præstare non desinit. O quanta felicitas, sic eleuatis oculis à Christo respici, Beatis nunc in spe, olim in re accenseri, & tam faciles & compendiosas mundo hucusq; incognitas ad cælum vias ab eodem audire mereri! Gratitude, zelus ad perfectionem in his octo Beatitudinibus comprehensam strenuè cõ-  
tendendi.

IV. De i. Beatitudine. *Beati pauperes spiritu.*

I. **E**Xpende, in quo hæc paupertas spiritûs, quàm infallibilis veritas primum in cœlesti scalâ gradum collocat, potissimum consistat, nimirum in perfecto contemptu mundi & sui; seu in voluntaria omnium, quæ in mundo quis habuit, aut habere potuit, aut voluit, quoad affectum & effectum, amore Dei & perfectionis, abdicatione, & sui ipsius in abyssum nihil sui profundissima depressione.

Quis mundo persuadeat, illum esse beatum, qui spontè se, non solum omnibus temporalibus spoliatur, diuitijs, honoribus, voluptatibus, quibus

frui poruisset, renuntiat: sed etiam, amore Christi, propriam voluntatem ac iudicium, cum omnibus affectibus ac desiderijs terrenis, abnegat; qui insuper se vilem, imò vilissimum omnium agnoscit, & reputat, & talem se haberi & proclamari optat & gaudet? Quisquis is est, magnus est, & verè beatus coram Christo, quantumvis parvus, abiectus, & miser reputetur à mundo. quātum ergò donum Dei scire, velle, posse hisce pauperibus spiritu accenseri? Amor & studium perfectæ paupertatis & humilitatis.

II. Quàm eximium huius vtriusque virtutis tota vita nobis præbuerit exemplum filius Dei, natus in stabulo, labore manuum victitans, in prædicatione, ubi caput reclinaret, non habès, nudus in cruce moriens; item in Incarnatione se exinanians, vitam priuatam & contemptam 30. annis agens, calumnias, sannas, probra sustinens, ad mortem se humilians. Zelus imitandi.

III. Quale huic paupertati spiritus paratum sit præmium, videlicet prægustatio quædam regni cœlestis in hac vita, ob carentiam curarum sæcularium, & abundantiam consolatio-

num cœlestium: & participatio eiusdem regni cum filio Dei in altera.

En quanto fœnore Christus modicum id refundit, quod amore eius quis relinquit, eleuans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, & collocans cum principibus populi sui. Quo dolore hoc videbunt olim viri diuitiarum, quibus idem Christus comminatur. *Va vobis diuitibus, qui nunc habetis consolationem vestram!* Grauitudo zelus excellendi in paupertate, & humilitate.

V. De 2. Beatitudine. *Beati mites.*

**E**Xpende, qualis mansuetudo pro secundo scalæ cœlestis gradu à Christo assignetur, talis nempe, qua quis 1. Omnibus etiã asperè & iniuriôsè sibi obluentibus suauem placidum, & affabilem se vultu, alloquio, moribus, & affectu cordis exhibet. 2. Qua calumniantibus & opprimentibus se cedit, dans locum iræ, & refrenans cupiditatem vindictæ, & si percussus fuerit in vna maxilla, paratus est præbere & alteram. 3. Qua malum pro malo non reddens, sed in bono malum vincens, vindictam, quam